



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ

Pichler, Vitus

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXIII.

Prænobilibus Et Gratosiss, Nobilibus Et Strenuis, Amplissimis Et
Consultissimis Dominis Dominis Inclytæ Urbis Monacensis, Bavarix
Metropolis, Consulibus Ac Senatoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39374

PRÆNOBILIBUS ET GRATIOSIS, NOBILIBUS
 ET STRENUIS, AMPLISSIMIS ET CONSUL-
 TISSIMIS DOMINIS DOMINIS
 INCLYTÆ URBIS MONACENSIS,
 BAVARIÆ METROPOLIS,
CONSULIBUS
 AC
SENATORIBUS.

Interioris Consilij.

- | | |
|---|--|
| 1. D. Joanni Maximiliano de Alberti,
<i>Consuli.</i> | 8. D. Maximil. Ignatio Ridler à Joannis-Kir-
chen. |
| 2. D. Maximiliano Josepho de Vacchieri,
<i>Consuli & Pratori.</i> | 9. D. Francisco Carolo Ignatio Krimbl ab
Eberstal. |
| 3. D. Maximiliano Francisco Erasmo Ridler,
ab & in Joannis-Kirchen, <i>Consuli.</i> | 10. D. Joanni Antonio Ignatio Barbier à
Gaykhoven. |
| 4. D. Francisco Thaddæo Schobinger à Stör-
tenberg, <i>Consuli.</i> | 11. D. Jeremiæ Bonaventuræ à Delling ad
Hueb, & Engharting. |
| 5. D. Georgio Ignatio Schobinger à Stör-
berg, <i>Consuli.</i> | 12. D. Bonaventuræ Sebastiano Rudolpho de
Ligsalz ab Asholding, Belhaimb, & Au-
fertshaulen. |
| 6. D. Josepho Carolo Antonio Barth ab Har-
mating, & Pälénbach, in Humbach,
<i>Consuli.</i> | D. Joan. Georg. Fevre, J. U. Lic.
<i>Syndico.</i> |
| 7. D. Joanni Casparo Gabrieli Barth ab
Harmating, Pälénbach, & Rheinthal. | D. Joan. Christoph. Antonio Zech, J. U. Lic.
<i>Pro-pratori.</i> |

Exterioris Consilij.

- | | |
|---------------------------------------|-------------------------------------|
| 1. D. Joanni Castner. | 13. D. Josepho Francisco Mayr. |
| 2. D. Joanni Alexandro de Sutzenburg. | 14. D. Josepho Antonio Angerer. |
| 3. D. Danieli Holzmayr. | 15. D. Andrea Paulo Jovi. |
| 4. D. Adamo Jelinger. | 16. D. Josepho Rudolpho Kayser. |
| 5. D. Francisco Christoph. Oefela. | 17. D. Josepho Pontifex. |
| 6. D. Philip. Josepho Pirchingen. | 18. D. Josepho Georgio Schmid. |
| 7. D. Francisco Stürzer. | 19. D. Francisco Erasmo Prandhofet. |
| 8. D. Francisco Claudio Clex. | 20. D. Joanni Heifs. |
| 9. D. Joanni Jacobo Remy. | 21. D. Petro Paulo Kaltner. |
| 10. D. Josepho Freybamer. | 22. D. Hieronymo Bonavent. Sigl. |
| 11. D. Joanni Gnáz. | 23. D. Adamo Mayr. |
| 12. D. Martino Abl. | 24. D. Joanni Joachimo Kandler. |

M Agnis quidem desiderijs in sinum vestrum meus properat Partus Polemicus; non tamen ut in Catholica Bavaria Meditullio asylum inveniatur fugiens hostes; siquidem hos inter medios in Urbe Augustana, ac inter crebra certamina publicisque consiliis enutritus ab incunabilis didicit hostium subire conspectum. Sufferre assultus, & intrepido vultu, quibuscum sacra gerit bella, Adversarios non tam excipere quam provocare, dubio nunquam Marte in arenam descendens, nunquam de victoria sollicitus, sed de triumpho certus, securitatem nimirum praestante, non Auctoris peritiam, sed optima ac insuperabilis cause invicto robore. Non igitur ad vos se recipit, ut lateat securus, sed ut prodeat gloriosus, à vestra Magnificencia adeptus splendorem, qui prius prater robur habuit nihil: non timoris agitur Stimulis, sed amoris trahitur vinculis: non invitus alieno paret imperio, sed latens Auctoris obtemperat jussis, qui, quamquam multis vestrum ignotus, minimè tamen peregrinus compareret, utpote à puero in Urbe vestra educatus, multorumque annorum vester civis. Hinc ingens erga vos tenera menti implantatus amor & veneratio, tacitis votis saepius suspiranti, ut sincerissimi affectus publicum edendi specimen, & devoti animi studium solenniter contestandi daretur occasio. Et en! opportunè se offerunt septena Polemicae Theologiae Opuscula, quae nuper Augustae Vindelicorum publicis concertationibus subiecta iteratis subiectis typis multorum id petentium desiderium, in unum librum & alium Ordinem redacta. Praesens itaque volumen, dignitati quidem & meritis vestris longè impar, mea tamen erga vos & Patriam observantia perpetuum monumentum demississime statuo, dico, consecro, spe fretus, munus hoc etiam inde non ingratum fore, quia auctori (si parva liceat componere Magnis) vobiscum intercedunt communia studia. RELIGIONIS nimirum & JUSTITIAE, Religionis, ut abunde loquitur prima libri facies, Justitiae, cujus sacros Canones publica ex Cathedra interpretari moderni officij à me postulat ratio. Utriusque autem virtutis (ut alias quam plurimas silentio involvam) clarissima in vobis relucet documenta, tam corusco undique diffuso fulgore, ut nemo, nisi caecus, eum non videat. Non vos, sed Urbem, quam in hac rerum vicissitudine mirà gubernatis prudentià, sed Bavariam totam, testes appello, an non idem vobis pro RELIGIONIS & JUSTITIAE aris labor, an non idem scopus, & quidem praecipuus, semper fuerit, ac etiamnum sit, ut has geminas, gemmis omnibus pretiosiores, dores conservetis integerrimas, utpote in quibus velut cardinibus vertitur omnis Reipublica & communis felicitas; hac utique sicut prima debet esse Magistratuum cura, ita summa eorum laus est & apex honoris; siquidem Religio Deo & Superis, à quibus omne bonum, Justitia Communitati & Subditis, & sic suum cuique tribuunt: Religio, quae Dei, Justitia, quae hominum sunt, aqua lance distribuit: utraque deum plenam Reipublicae salutem praestat & tranquillitatem. Et hanc in his rebus motibus vestra in Urbe, cujus habenas felicissimè moderamini, suaviter firmi ac fortiter (non utique sine utriusque necessario adminiculo) dexterrimè

mè nōstis hucusque conservare. Monacensis nimirum Civitas munimentum est
avitæ Religionis, Curia autem domicilium Justitiæ. Utramque stabili vinculo
inibi fixit Monacensium, & vestra cumprimis, Pietas: bene enim, quod cum
vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem & gloriam (Civitatis vestrae)
redundat. L. 8. Cod. de Legibus, utpote qui probè intelligitis, summam esse ra-
tionem, quæ pro Religione facit. L. 43. ff. de Relig. & Sumpt. fun. Miramur
adhuc jure merito vestrorum Majorum, quorum vestigia studio legitis pede,
indefessam pro aris sollicitudinem, invictam in sancta Religione retinenda forti-
tudinem, & constantem in propulsandis, quos tum vi tum fraude nitebatur un-
dique invalescens per viciniam hæresis invehere, erroribus vigilantiam. Certè
nisi illi adeo fortiter laborassent venenum à Bavaria corde, nimirum Metropo-
li vestra, depellere, Provincia hæc, adeo dilecta Superis, quæ fere sola per Ger-
maniam à venenato heretica impietatis morsu semper intacta perstitit, modo non
valeret integerrima fide, sed fortè vel totam, vel magnam partem ingemisceret
sefe Lutheranam. Istis Zelosis Athletis pro Domo Dei solertiissime excubanti-
bus, quos pulchrè emulari studetis, debet Civitas vestra, & quod consecrarium,
Patria tota, quòd passim audire soleat, scutum Religionis, Ecclesia Protectrix,
fidei propugnaculum, in quo hæresum magister Orcus Cathedram pestilentia tui-
erigere (ne dicam, firmare pedem) nunquam vel potuit vel ausus est.

Ne autem Veterum abreptus encomijs vestra Pietatis amulique Zeli egre-
gias laudes dissimulem, in mentem revocare placet varia Martis discrimina,
tristem Magnificæ Urbi impendentem cladem haud obscure minitantis: quam
tamen placatum vobis Numen clementissime avertit, auxilio tam forti quàm
opportuno: cujus tamen haud aliam ego causam edixero, quàm pia vota, fusas
ad Superos preces, crebra Sacrificia, validos unanimiter supplicantium cla-
mores, & alia sexcenta pietatis & penitentia argumenta, quibus tota studebat
Civitas. Sed unde hæc populo tanta devotio? unde tam ardens omnigena pietatis
studium? unde tam valida Cælo flectendo piè illata vis ad vobis opitulandum?
Injuriam vobis facit, PRÆNOBILES NOBILES ET CONSULTISSIMI DO-
MINI, qui hos fructus alia ex arbore, quàm ex vestra pro publico bono paternæ
cura arbitratur enatos: qui tam limpidi fontis aliam quarit scaturiginem,
quàm Curiam vestram: qui alteri tam salutaria adscribit consilia, quàm pru-
dentissimo & vigilantissimo magistratui: jussa & exemplum vestrum hæc tanta
potere in civibus, in subditis. Præ cæteris autem haud dubie stimulos addide-
rit solenniter nuncupatum piissimum votum Ædis sacre in Adoranda Sanctis-
sime Triadis cultum exstruenda, cui Magnifico operi fidelem jam admovistis ma-
num, imò propediem imponetis ultimam. Quidni igitur avido cursu ad vos
properet Curtus Theologiæ mex Polemica, ubi tantus Catholica Religionis, ex
hæreditaria quasi Monacensium pietate identidem renascens, ac hodièdum vi-
gens Zelus? Quidni ad incorruptum sacre Themidis tribunal convolet Pontif-

*ei Juris alumnus? Quidni indignum quondam civem ad se rapiat Magistratus
voti observantia colendissimus, Religionis & Justitiae eximius Cultor?*

Sed & alia, eaque suavissima vis, cujus primo loco meminisse oportebat, nimirum expressa observandissimi mei ac totius Provincia Praefidis voluntas meis votis accessit, publico hoc, quamvis exiguo, penso profiteri me disertè jubentis, Societatem Jesu, ac precipuè Monacense Collegium, gratissima mente agnoscere beneficia plurima & maxima, pro quibus obarata se sciunt. Quod ut praesent, non opus habent antiquioris aevi monumenta lustrare, dum ante oculos versantur recentissima tum benevolentia tum beneficentia exempla, si modo reflectere eos libeat per paucorum, vobis jam ad Clavum sedentibus, annorum curricula, praesertim illius, quo memorati Collegij Basilica ad debitas laudes & gratias Deo ter Optimo Maximo dicendas pro primo in hac Nobilissima Urbe feliciter transacto saeculo, omnes vires intendit. Deus bone! quos non sumptus tum fecit munifici Senatus liberalitas? quos non plausus adornavit sincera affectio, inter festivos etiam majorum tormentorum per turres & moenia repetitos sonitus? quos non apparatus molita est magnifica pietas solenni supplicationum per plateas & sacram adem ductarum pompam? Verbo: nihil non fecit Amplifsimus Senatus, ut hanc sacram solennitatem solenniore redderet augustioreque: ut adeo non privata videretur agi Societatis causa, sed totius Urbis Inclytæ communis, qua sua in nos studia ijs contestata est argumentis, ut non facile Societas in solatium praestita Religiose opera ab ulla Urbe majora expectaret, aut exspectare possit, quam qua à Senatu Populoque Monacensi tum fuerat expectata. Hac & alia, qua ideo commemorare omitto, quia quotidiana sunt, gratiosi erga nos Magistratus luculenta indicia nunquam non memori mente recolet aeterna gratitudinis vinculo obstrictissimum Collegium Monacense, simul & tota per Superiorem Germaniam Societatis Jesu Provincia; & cum indies accrescat nova grate mentis materies, recens quoque gratitudo nostra quotidie capiet anflarium. Atque his de causis praesentem Lucubrationem studiosissimo affectu offero, ut in ea tanquam in debita gratitudinis & observantiae volumine nostrum erga vos animum, & meam Auctoris peculiarem devotionem legere valeatis, qui felicissimum vobis regimen perannibus votis impensissimè precor & auguror. Dilinga 8. Sept. 1713.

Vester

Devotus in Christo Servus

VITUS PICHLER, S.J.